

Bona opera
non sunt pars
justitiæ no-
stræ.

I.

Non sumus
justi duplici
justitiâ.

Distantia
summa justitiæ
imputatæ & inchoatæ.

2.

Imputatio fi-
dei & operum
conditio se-
cum pugnant

*Bona opera non sunt necessaria ad salutem
constituendam, sub ratione cause materialis.*

XLVIII. Porro si bona opera pars essent illius justitiæ, quâ coram tribunali DEI consistere possumus, sequeretur hoc absurdum: Hominem duplici justitiâ justum esse, unâ imputatâ, alterâ inhæsitâ, unâ propriâ, alterâ alienâ, unâ perfectâ, alterâ imperfectissimâ.

XLIX. Jam verò in scriptura vis omnis liberandi homines à peccato & eternâ damnatione refertur ad imputatam justiciam, quæ est Christi obedientia, atq; hæc omnem perfectionis modum, omnes bonitatis apices, absolutissimâ suâ dignitate, non tantum assequitur, verum etiam transcendit: Ideoq; inherens alicujus justitiæ adminiculo non indiget: Ut taceam, quod justitiâ imputatâ & inchoatâ, ob disjunctissimas conditiones perfectionis & imperfectionis, in excellenti utriusq; gradu, in hoc arduo & sublimi negotio copulari nequaquam possint.

L. Eos itaq; oportet esse insigniter effrontes atque impios, qui vel absolutissimæ Christi obedientiæ, operum suorum lacinias sordidas & contaminatas laborant assuere, vel disjunctâ & rejectâ justitiâ imputatâ virtutes inherentes quales quales etiam sint, supremo judici loco satisfactionis obtrudunt.

LI. Diversissimus sanè est modus imputationis, qui est secundum opus, & qui est secundum fidem & gratiam: ille est merè legalis; hic verò Evangelicus: ille habet fundamentum in homine; hic extra hominem in DEI gratiâ & misericordiâ: adeoq; ubi est Imputatio Fidei, ibi simpliciter

ter